

MAXIMILIANI IMPER. & REGIS DECRETUM III. ANNI 1569.

Gratuitorum laborum distributio.

A r t i c u l u s 19.

§. 18. Comitatus Castriferrei labores, aut totaliter, aut pro media parte ad Kanisam, vel oppidum Pápa applicentur, uti Majestati Suae Caesareae et Regiae visum fuerit: Exceptis tamen omnibus et singulis bonis Domini de Zrinio, in his jam dictis tribus Comitatibus, in et extra insulam Muraköz existentibus; quorum subditorum labores ad praeparationem castelli Legrad reservati et deputati sunt *).

Quae Transmissiones, sive Appellationes, e Sedibus Comitatum, ac Vicariorum transmissae; in quibus terminis revideantur?

A r t i c u l u s 40.

§. 1. In Sclavonia vero, utroque judiciorum termino, illas revideri decretum est, terminique judiciorum constituti sunt; festum Epiphaniarum et festum Sancti Jacobi.

Confiniorum Regni, Metarum revisio et rectificatio, per Commissarios fieri petita.

A r t i c u l u s 42.

De revisione, rectificationeque metarum Ungariae, ac Sclavoniae, cum Austria, Styria et Moravia, ac Polonia, in omnibus fere Conventibus cum defunctae, tum vero modernae Sacrae Majestati Caesariae supplicatum fuit; illae tamen in nulum hucusquae opus et executionem sunt deductae:

§. 6. (Commissarios autem nominant) Versus Styriam denique et Carnioliam, Honorabilem, ac Egregios, Joannem Dombrensem, Cantorem et Canonicum Ecclesiae Zagrabiensis, Joannem Forchicz de Buthinavesz, Vice-Banum, ac Magistrum Emericum Petthö de Hethes, Proto-Notarium Regni Sclavoniae et Stephanum Kapitanffi.

Inquisitiones veteres, contra Joannem Krusith et Stephanum Dersffi revideantur.

A r t i c u l u s 55.

Veteres inquisitiones contra Joannem Krusith et quondam Stephanum Dersffi, ac milites sub eis existentes, peractas, per novos Commissarios a Sua Majestate deputandos, revidendas et executioni demandandas, statutum est:

§. 1. Cui rei, praefixus est terminus; festum Sancti Nicolai proxime venturum.

§. 2. Ad recentes autem contra Krusith querimonias quod attinet; de illis, deputatis novis Commissariis, novam inquisitionem esse faciendam, decretum est.

*) Confer., An. 1600. a. 21. Et An. 1613. a. 8.